



Sammlbd

Auffn · Lbl

13 T Altk. 18 Augm.



Q. D. B. V.

EXERCITATIONEM PHILO-  
LOGICAM

De

CUNABULIS  
CHRISTI,

In Illustri ad Albinum Athenæo  
publicæ ventilationi subjiciunt

PRÆSES

M. JOHANNES CHRISTOPH.  
LETSCHIUS,

&

RESPONDENS

BALTHASAR GERHARDUS,  
BRIGA SILESIUS.



WITTEBERGÆ,  
Literis MATTHÆI HENCKELII  
ANNO M.DC.LXV,

E X E R C I T A T I O N E M R H I L D  
M A T T H E W A

G U N A R D I S  
C H R I S T I

M O H A N N E S C H R I S T O P H  
I E T S C H I L S

B A L T A S A R G E R H A R D I S  
B R I C K Z I F F E L I S

M A T T H E W H I C K E R T H

A N N O M D C I X A



בִּיחוֹרָה אֶלְחֵינָה

**A**gna quondam animi com-  
motione pia Antiquitas ea solebat se et a-  
ri loca, in quibus generi humano insignia  
Salvator exhibuerat beneficia. Vnde pa-  
rum pius videbatur sibi tum temporis  
is, qui Bethlehami & Hierosolymis non  
fuisset, aut ad alia loca sacra, peregrinationem non instituisset.  
Alio planè fine ac instituto, quam Papicole solent hodie, qui  
peregrinationibus ad loca sacra, nescio quæ merita tribuere  
non verentur. Reclite vero Hieronymus Epist. 27. de Paulo  
ad Eustochium virginem: Deinde facultatula sua, in-  
quit, pauperibus atq; conservis distributa perrexit ad  
Bethlehem & in Specum Salvatoris introiens, post-  
quam vidi sacrum virginis divisorium & stabulum,  
in quo cognovit Bos possessorem suum, & asinus præse-  
pe Domini sui, me audiente, jurabat cernere se oculis.  
fidei infantem pannis involutum, vagientem in præ-  
sepi Dominum, mixtisque gaudio lachrimis loqueba-  
tur: Salve Béthlehem Domus panis &c. Et in Episto-  
la ad Paulinum, nequicquam, inquit, fidei Tuæ deesse  
putes, quia Hierosolymam non vidisti, nec nos idcir-  
co meliores existimes, quod hujus loci habitaculo frui-  
mur; Sed siue hic, siue alibi, a qualem te pro operibus  
apud Dominum nostrum habere mercedem &c. Re-  
verentia utique debetur iis locis in quibus Deus immortalis  
aliquid presentia sua siue omnia exhibuit signum,  
neutquam vero ad superstitionem vergens cultus. Nec sunt

superciliosè contemnenda iis, quibus ad ea facilis patet accessus, cum praesentia loci, in quo haec vel illa certò facta esse scimus, animum nostrum, si non fortiter commovere, tamen ad rerum ibidem gestarum soleat excitare recordationem. Ingrediamur ergo nos quoq; hilari fronte iter, & ad benignissimi Salvatoris nostri cunabula proficiamur mente, quam nec via morantur pericula, nec impensarum retrahunt difficultates. Consideremus eadem grata mente inq; iis nascentis Christi Dominorum nostri causa perpeccam paupertatem & proculdubio ad maiorem erga Servatorem generis nostri pientissimum, excitabimur gratitudinem. Quod ergo ut felix faustumque esse jubeat Deus, eundem propter jesulum nostri causa natum, supplices deveneramur.

### §. I.

Cunabula, quæ à cunis originem sumere notum est, significant non modo rerum initia, uti ex Virgili patet verseculo Aeneid. 3. Mons Ideus ubi & gentis cunabula nostra, sed & letulos infantum ac loca, in quibus nascimur, uti tradit Servius ad Virgil. Eclog. IV. annotante Excellent. Dn. Buchnero, Praeceptore nostro obseruanter colendo in Thesauro Fabri. In posteriori significacione utimur in praesenti hoc vocabulo, dum animus nobis est quædam de speciali nativitatis Christi loco in medium afferre. Quod autem tum facere aggredimur, Scripturæ S. relationem nobis proponimus, quæ de illo, sequentia habet apud Evangelistam Lucam Capite II. v. 6 & 7. ἐγένετο δὲ ἐν τῷ εἰαὶ αὐτῇ ἑκατὸν τρισσαρισμένῃ τῷ πεντέ αὐτῶν. Καὶ ἦσσε τὸν ψυχαρίτης τὸν τεωτόσουν καὶ ἐσαργάνοσεν αὐτὸν, καὶ ανέλινεν αὐτὸν τῷ Φάτνῳ, διόλα τοιούτῳ αὐτοῖς τὸν Θεόν τῷ καταλύματι. Vulgata Versio ita habet: Factum est autem quum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret. Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit; & reclinavit eum præsepio, quia non erat eis locus in diversorio. B. Erasmus Schmidius hoc modo vertit: Factum est autem dum illic essent, completi sunt dies, quibus pareret ipsa. Peperitq; filium suum primogenitum, eumq; involvit

volvit fasciis , ac reclinavit eum in præsepi, eo quod non esset  
locus aliud in diversorio. Cum quo facit B. Lutheri versio. Und  
als si daselbst waren / kom die Zeit / daß sie gebährten solte. Und  
sie gebaht iheren ersten Sohn / und wickelt ihn in Windeln / und  
legte ihn in eine Krippen. Denn sie hatten sonsi keinen Raum  
in der Herberge.

§. 2. De Principum atq; Magnatūm hujus mundi cuna-  
bulis si sermo faciendus nunc esset , non nisi magna , splendida  
ac sumptuosa sese offerrent deprædicanda. De Salvatoris vero  
nostrī nativitatis loco dum quædam meditamur, nil nisi humili-  
le, abjectum ac miserabile invenimus. Quando enim Evangelista  
indicit, quod pro Christo non fuerit τόπος ἐν κατάλυμα, lo-  
cus in diversorio , ideoq; coactus fuerit lectulum suum quærere  
εἰς Φάτνη in præsepi, quid aliud indicatur, quam Salvatoris pri-  
mum nascientis extrema paupertas & species in mundo contem-  
tissima? Non autem judicandum est, talem abjectam & obscu-  
ram nativitatem indignam esse Majestate Filii Dei. Voluit enim  
ita nasci Dux ille universi orbis, in loco exiguo & humili, humili-  
lis ipse & mansuetus.

§. 3. Vocabulum Φάτνη significare & Stabulum & præ-  
sepe , ex Hom. & Luc. refert Joha. Scapula in Lexico Greco-Latino.  
Hoc in loco prout à Luca usurpatum , significat proprie dictum  
præsepe, ac talem thecam, ex qua pabulum capere solent pecora. Idq;  
pater 1. ex loci specialioris determinatione. Sermo est in verbis  
Evangelistæ , non de loco Mariæ ac Christo communi, qui sta-  
bulum erat; sed specialiori ac recens nato puerulo soli compe-  
tentि. Erat enim Maria jam ante partum in stabulo, ( quis enim  
asserere vellet , castissimam virginem in præsentia aliorum in  
communi aliquo conclavi peperisse , ac demum post partum  
stabulum quæsivisse ) unde Φάτνη demum, non potest stabulum  
significare , cum alias hac ratione recens natus Salvator ratione  
loci præ parentibus , nihil singulare habuisset , qui tamen ex  
loco , in quo positus erat , agnoscendi debebat , uti statim dicetur.  
2. ex articuli adjectione. αὐτὸν οὖν reclinavit, reposuit, εἰς τὸν ipsu  
filium primogenitum , εἰς τὴν Φάτνη in illo ipso præsepi, quod ni-  
mirum erat in stabulo. 3. ex Angelī assertione. Angelus pasto-  
ribus apparetens Luc. 2. v. 12. signiloco exhibet, quod invenient

Infantem & **Φατνή** jacentem. Signum autem rei signatae debet esse proprium, non commune, si certò quid debet indicare. 4.  
**Ex communī Interpretum consensu**, qui statuunt verè Christum in præsepi aliquo proprio dicto jacuisse. Non interim negamus connotari stabulum ac ēπομένως inferri, cum præsepe non nisi in stabulo inveniatur.

§. 4. **Tn̄ Φατνή** itaq; notare non proprio dictum præsepe, sed solum certum diversorum, cuius insigne fuerit Præsepe, ac vocatum zur Krippen/ uti forte hodie aliquod diversorum apud nos nominari posset, non convenire sacris Evangelistæ verbis, v.B.Erasm. Schmidius annot. in Luc.c.2.p.494. Neq; Sententiam eorum fulcire potest, quod Matth.2. v.ii. *Magi dicantur ingressi eis τn̄ οἰκίαν, ibi γάρ adorasse Christum, non verò in stabulo aut præsepi.* Nam confecta descriptione & hospitum discessione vacuefacto diversorio, probabile est. Josephum ac Mariam reliquo stabulo, aliud quæsivisse conclave, infantemque translustisse.

§. 5. *Secessionis in stabulum ratio* in his exprimitur verbis: διόπει γέννην αὐτοῖς τόπον ήτοι τὸ παταλύματον. B. Schmidius paulo aliter quam Vulgata: quia non erat eis locus aliis in diversorio, & B. Lutherus: Denn sie hatten sonst keinen Raum in der Herberge. Sermo enim hic est non de loco simplicis mansionis in diversorio, qui ipsis denegatus non erat, sed conclavi singulari ad pariendum commodo, quod propter populi ibidem commorantis copiam habere non poterant, ideoq; ad stabulum refugium suum sumebat pudica Virgo Maria.

§. 6. Vox παταλύματος, cuius Lucas meminit, dicitur ἡ παταλύειν, quod inter alia significat divertī, ut apud Plutarchum legere est παταλύειν εἰς πανδοχεῖον divertere in tabernam, & apud Homer.od.δ. παταλύσθω πεπίπτειν, uti quidam exponunt: solutos equos excipiēmus stabulo. *A quibusdam vox παταλύματα accipitur pro loco qualicunq;, ubi ad tempus exsolvantur jumenta.* Sic Gen.42. v.27. λύσας δὲ εἰς μάρσηπον αἵτης δύνας χορτάσματα τοῖς ὄνοις αἵτης, ἢ παταλύματα, εἴδε τὸν δεσμὸν ἐφρυγέσθαι αἵτης. Aperiens unus sacculum suum, ut daret pabula asinis suis, quos

ex-

exsolverat, vidit argentum suum, & Exod. 4. ἐγένετο τῷ ὅδῳ τῷ  
τῷ καταλύματι accidit in via in diversorio in der Außspanung  
v. B. Frantz. de Interpret. Sacrae S. Orac. 116. Aliis significat non  
tām locum aliquem publicum in platea deambulationibus & alli-  
gandis rusticorum adventantium jumentis destinatum, quām ipsum  
hospitium vel communem aliquem in hospitio locum, in quo promi-  
scue homines commorabantur, sarcinulas suas deponebant,  
inq; communī mensa cibū capiebant. Et usitata est hujus  
vocis in Scriptura significatio. Sic Marc. 14. v. 14. & Luc. 22. v. 11.  
legitur: τὸ δὲ τὸ κατάλυμα ὅπερ τὰ πάχα μὲν τὰ μαθητῶν  
μεράγω. Vulgata ubi est refectio mea? Rectius B. Schmidius,  
ubi est diversorum meum? Lutherus, wo ist das Gasthaus? Et  
Luc. 19. v. 17. οὐδὲ ἀπαντεις διεγόγγυξον λέγαντες, οὐ τῷ  
κινσέλῳ αὐδεὶ εἰσῆλθε κατέλασται, quod ad hominem pecca-  
torem divertisset. Bened. Ariasmont. quod ad peccatorem ho-  
minem introivit diversari, h. e. ut dissolveret & deponeret ve-  
stes itineris & sarcinas explicante Georgio Pasore in Lexico suo  
pag. 444.

§. 7. Non erat eis locus, dicitur, τῷ καταλύματι, cum  
addito articulo. Novimus quidem articulum, quem Julius Sca-  
liger vocavit loquacissimae gentis flabellum, non ubivis morosè esse  
urgendum, in profanis præcipue Scriptoribus, qui magnam sibi  
in hac parte sumunt libertatem. Certum interim omnino est  
in sacra N. T. literatura articulum sæpius emphasi non carere,  
si præponatur nomini casu convenienti, ut ostendit multis B.  
Glasius in Philol. Sacr. lib. 3. tract. 2. p. 156. Sensus ergo erit vel  
unicum tantum fuisse diversorum, & ad illud plane non admisso  
fuisse, quod verisimile non est; vel ipsos unum aliquod diversorum  
adiisse, & in eo quidem fuisse receptos, non autem talem invenisse  
locum adveniente tempore pariendi, quale status ac conditio Ma-  
rie requirebat. Ex hic sensus non modo commodus est; sed ni-  
titur etiam autoritate Magnorum Virorum. Solet hodie quoque  
evenire peregrinantibus, ut recto ac reliquis ad viētum necessariis  
excipi queant, in diversorio: non vero proprio lectulo aut cubili.  
Et ex Græcorum libris etiam observare licet, res olim fuisse di-  
versas, δέχεσθαι γοργα admittere ad empionem commeatus: δέχεσθαι  
ογμα

δέ μου φατε ποτεστατην ιγρειδην στατιονην αυτορυτον : δέ χειδη  
δικη φατε περιδομην : δέ χειδη κοιτην . κοιτην κυβικον αυτο  
βιλη αδ κυεσκενδην даре , v.Cajab.Exerc.2.in Annal.Baron.col.2.  
p.120. Fuit ergo Maria ~~cu~~ ~~τη~~ κατελυμα in communi diver  
sorio, antequam tempus pariendi veniret. Εγενετο γαρ die Lucas  
cap.2. v.6. cu τη ειναι αυτης εικει, factum est autem in esse eos ibi  
(procul dubio, non in publica platea, d. sub diversorii tecto)  
implete sunt dies pariendi. Prælente ergo tempore, in diverso  
rio, ubi homines degebant, locum ad parientum habere non  
poterat, partim quia peculiaria in domo cubicula s. conclavia à  
ditioribus erant occupata, partim ceteri hospites puerperæ huic  
paupereculæ, ex communi cunabulo, cedere nolabant, ne ergo  
in conspectu omnium pareret, ipsi in stabulum erat seceden  
dum. vid.B.Cheznit.in Harmon.Evan. ad hunc locum.

§. 8. Tam religiosas olim fuisse gentes in excipiendis ho  
spitibus, ut etiam Reguin filie honestum ducerent, hospites in  
balneis lavare, testatur P. Nannius Miscell.lib.4.cap.2. Quantum  
minores hac in parte gentibus fuerunt Bethlehemitici cives,  
qui non inhonestum esse putarunt Davidicæ ac Regicæ prolis  
nullam habere rationem, sed extra κατελυμα eandem in stabu  
lo ac præsepi relinqueret. Hinc S. Patres non semel admiratio  
hujus contemni loci cepit, eundemque variis designarunt nomi  
nibus. Ambroſius vocat diversorium terreum, inquiens; Terreno  
in diversorio jacet, sed caelesti lumine fulget Gregorius Nazianzenus,  
Φαῦλον καὶ μικρὸν κατελυμα vile & parvum diversorium. Euse  
bius τὸ τῆς γεννήσεως ἀῖδεν, Chrysostomus κατίβην casam propter  
renuitatem & vilitatem. Hieronymus ad Marcellam, foramen:  
Ecce, inquit, in hoc parvo foramine cœlorum conditor natus  
est. Greco ac Latini Patres communiter κατελυμα Speluncam, quia  
Bethlehem in colle saxeo sita erat.

§. 9. Stabulum autem illud sive antrum non erat ἀντρόψες,  
sed locus concinnatus in usum stabuli, uti ex præsepi in eo posito  
facile colligitur. Non constabat ex coctis lateribus, qualibus  
nostra ædificia hodie exstruuntur: neq; tignis quibusdam junctis,  
d. pro Regionis indole intra saxa incisum erat. Est enim Hiero  
solymitana & Bethlehemitica Regio lapidosa ac petrosa ex  
Stra-

Strabonis Libr. 16. & eremitarum, qui illa visitarunt loca, testimonio.

§. 10. In hoc stabula erat praesep*e* ex lapide excisum, uti testatur Audrichomius in Theatro Terra S. pag. 41. inquiens: in extremitate hujus urbis rupes quadam erat non multum à muro disita, in qua pro more illius terre locus pro stabulo erat, in stabulo autem excisum erat praesep*e*, ex ipsa scilicet rupe. Iohann. Jacob. Breuning. in Itiner. suo pag. 258. scribit, ostendi hodie praesep*e* marmoreum quā longitudinem 5. cum dimid. quā latitudinem 4. cum dimid. Spithamarum. M. Henricus Bünting. in Itinerario Scriptura Sacra in Itin. B. Mariae: Man findet auch in dieser Capellen ein Theil von der Krippen / darinnen der HERR CHRISTUS sol gelegen haben/ und dieselbe ist in einen Stein oder Felsen gehauen / wie man da gewöhnlich die Krippen macht. In hoc omnes conveniunt, materiam praesepis fuisse lapidem. Judicandum inde, tūm de presumptione Pontificiorum, qui Romae praesep*e* lignenum ostendunt, in quo Christus in stabulo jacuerit, idque eo nomine venerantur. v. Cornel. à Lapide annot. ad cap. 2. Luc. & Spondanum in Annal. Eccles. Baron. pag. 10. tūm de credulitate Baronii, qui ex Homilia, quæ Chrysostomo attribuitur, refert, praesep*e* Christi fuisse luteum. Cum tamen Homilia illa, ne pīlum quidem eloquentia

divini illius Doctoris Chrysostomi habeat, sed planè suppositia sit, ut pluribus ostendit Casaubonus in Exercit. 2. Annal. Baron. p. 126.

§. 11. Excisum fuit hoc stabulum *eo fine*, ut animalia quedam in eo alerentur, & ex praesep*e* pabulum suum caperent: Num verò *eo ipso tempore*, quo Christus natus fuit, iumenta quedam fuerint in stabulo aut praesep*e* alligata, incertum est. Baronius quidem in Annalibus Ecclesiasticis & Epitomator ejus Spondanus, pro vero dogmate, idque in Scriptura fundato, venditant, quod Bos & Alinus ad praesep*e* Christi fuerint alligati, ac pro sententia sue confirmatione addunt LXX. Seniorem interpretationem Prophetiarum, quæ habetur Habac. 3. vers. 2. οὐ μέτρο δύο ζώων γνωθήσεται, in medio duorum animalium agnoscetis, eamque conjungunt cum loco Esa. 1. vers. 3. cognovit Bos posse-

rem saunt, & asinus praesep Domini sui. Et ne soli illud statuere videantur, in consortium trahunt Gregoriam Nazianzenam, Nyssenum, aliasque, quorum verba apud ipsos videri possunt.

§. 12. Animus nobis non est cornicu configere oculos, aut antiquam de ponte præcipitare sententiam. Multa (inquit B. Chemnit. in Harmon. Evang. loc. citato.) Veteres de Bove illo & Asino philosophati sunt; Sed conjectura tales si sobrie usurpentur, sicut non odiosè exagitande, ita nec temere assertande pro dogmate. Unde etiam Veterum cantinuolum; cognovit bos & asinus, quod puer erat Dominus, pio sensu in Ecclesiâ retineri videmus. Cæterum quod Annalium fructor Cardinalis, Veterum conjecturas pro cogmate, in codice sacro fundato, nobis obtrudere conatur, cum eo facere non possumus, sed videre potius, quantum roboris ea, quibus nos convincere conatur, in se habeant. Prophetia Habac. in fonte aliter longè sonata, quam in versione. בְּקָרְבָּן חִיּוֹת qua verba Hieronymus veritatem Ebraicam respiciens vertit: In medio annorum vivifica illud, quæ nihil faciunt pro sententia Baronii. Neque ex LXX. viraliversione, id quod intendit, concludere sine αριθμοσικo potest. Non enim sequitur: Iesulus noster inter duo animalia cognoscitur, E. inter Bovem & Asinum. Nam à genere ad determinatam Speciem non V. C. ut monent Logici. De loco Esaiæ loquuntur plerique autores, quos pro se citavit Baronius. Sed non loquuntur historicè, verum allegoricè, quod ex unius alteriusyē adductione patebit. Verba Gregorii Nazianzeni in orat. 38. hæc sunt: γνῶθι ὃς τὸν πτησαύρον, Ήσαῖας Διεκελύεται σοι, καὶ ὃς ὁ Θεὸς τὸν Φάτνην τὸν κυρίον αὐτός, h. e. cognoscet ut Bos possessorem, Esaias hujus te admonet, & ut asinus praesep Domini sui. Gregorius Nyssenus in diem natationem Domini ita disserit: Medianam in praesep se inter bovem & asinum utriusq; Dominus locat, ut medium parietem maceries solvens, duos condat in seipso. V. Excellent. Dn. Dilherr. Electa cap. 15. pag. 186.

§. 13. De stabuli ac praesepis, in quo cœlorum conditor jacuit, sede, porro quædam dicere opera pretium erit. Fuit autem

tem illa non in urbe Nazareth, quamvis Salvatori nostro Nazareni nomen in crucis inscriptione Joh. 19. vers. 19. alibi que tributatur. Factum enim hoc non ideo quasi Christus ibi natus fuisset, sed quia Joseph cum sponsata Maria Christi Matre ante & post nativitatem ejus ibi habitaverat. Fabulantur hinc strenue suo more Pontificii de domo Nazarethanæ, in qua Maria angelicum de conceptione Messiae accepit nuncium, quod nempe angelorum ministerio translata sit in Dalmatiam primum, deinde in Italianam, ubi in agro Loretano templum visitatur, cui sequentia inscripta esse refert, Excell. Dn. L. Strauch, Preceptor noster devenerandus, in disp. i. de Patria Messiae ex Nathan. Chytræ deliciis itinerum: Hoc est Sacellum, quod Mariae matris cubiculum fuit, ex Asia per immensum mare angelorum opera, in Europam translatum: in quo & nata Maria, & educata ad annum XII, cœlestè in eo accepit nuncium, atque ex Deo concepit.

S. 14. Neque in Bethlehem, quæ fuit in tribu Zabulon, de qua Jos. 19. vers. 15. sed in Bethlehem, quæ fuit in tribu Juda, unde Matth. 2. vers. 1. vocatur Βηθλέεμ της Ἰudeᾶς. Vox composita est à בֵּית domus, & מְלֵאָה panis, q. d. domus panis, sic dicta à fertilitate loci & Regionis, in qua sita erat. LXX. Βηθλέεμ. Latini Bethlehem, interponendo H, ne planè aboleatur litera ב in vocem מְלֵאָה, annotante B. Schmidio in Matth. 2. cap. 1. Patres vocant διονού τοῦ ἀρτοῦ. Latini Domum panis. Germani Brodhaus. Estque in nomine omen. Christus enim Bethlehem natus, vivi panis, qui de cœlo descendit, penu nobis aperuit.

S. 15. Verum in urbe an extra urbem B. Virgo partum mirabile ediderit, non consentiunt inter se eruditæ. Confituntur Protevangelium Jacobi fratris Domini narrat: Mariam in medo itinere partu præoccupatam, in loco deserto, in speluncam quandam ingressam, & Josephum cum ad querendam obstetricem ivisset, multa vidisse miracula, colum stare, aves in medio volatu immobiles consistere, hircos ore imminentes aquæ, nihil potare, pastoris manum qua virginem ad cogendas oves elevaret in aere quasi pendere, lucidam nubem obumbrare speluncam,

obstetrici, quod post partum supervenerat, manum arsisse, que  
contactu infantis restituta sit. *Justinus Martyr* in *Dialogo*, cum  
*Tryphonem* scribit: *Mariam* ēν των λατων λιθογράφης και-  
τέλευτη, in aliquam speluncam vico propinquam divertit.  
*Justinus* contendit ejusmodi antra non reperiiri in urbibus. *Cae-  
tanus ad Evangel. Luc.* difficile, inquit, intellectu est quomodo  
Herodes ignorare potuerit Christum à Magis fuisse adoratum,  
si in ipsa urbe ponatur facta adoratio. *Baronius* hisce se se associat ac defendit Christum ēγισται aut ēν ὁροῖς Βηθλέεμ natum  
esse in quadam Spelunca vico Bethlehem propinqua, non i-  
psa urbe, sed foris in agro suburbano; Hocque assertum suum  
confirmare audet ex *Elaiae* cap.33, v.16. quem locum ita reddunt  
LXX. Ἐπεὶ οὐκοῦν ēν υψηλῷ τοποῦ πέργασι σχύζεις h.e.  
habitabit in spelunca rupis validæ.

§. 16. Nos contra simplici Scripturæ S. litera freti non  
dubitamus asserere Christum *Ιησοῦ Θεωτὸν* in ipsa urbe *Bethle-  
hem*, non extra urbem aut suburbis, multo minus in agro,  
natum esse. Hancque assertionem nostram superstruimus  
1. simplici Scripturæ S. assertione. Dicuntur Maria & Joseph,  
non fuisse ēγισται Bethlehem, sed ēν Βηθλέεμ Matt.2,1. ascendiisse  
eis πόλιν Δαβὶδ Luc.2, v.4. Urget quidem *Spondanus*, quod quæ  
in suburbis siant l.juxta muros gesta sint, recte dici possint & com-  
muni usū loquendi dicantur, in civitate esse gesta. Verum est,  
communiter loquendo, id quod in horto suburbii Wittenber-  
gensis fit, etiam Wittebergæ factum esse, dici posse, si nimirum  
parum interstit locum speciale illius facti nosse. Cæterum  
accuratè distincte ac plane si rem aliquam magni momenti de-  
scribimus, non sufficit communem sed specialem indigitasse  
locum. 2. *Civitatis Bethlemiticae descrippitioni*. Quamvis non  
negandum Bethlehem, veri nominis fuisse civitatem, in qua  
cives vitæ generibus distincti ad unam Reip. societatem con-  
juncti fuerint, adesque civium communibus munimentis mu-  
nitæ, & ornamentiis publicis ornataæ, tamen ita describitur, quod  
parva & suburbis destituta fuerit. Hinc καὶ νῦν *vicus* vocatur  
*Joh.7. Hieronymus* eam vocat modo *villam*, modo *villulam*, ali-  
quatu-

quando vix *parvum viculum*. *Theodoretus* ita eam describit: *χώριον ἀδόξον καὶ μικρὸν ut locum ignobilem & parvum.* Nec potuerunt hucusque *αὐτιλέγοντες* unicum, è probato autore adducere testimonium de Suburbis Bethlemiticis, *unanimi ex illis locis advenientium relationi.* Testantur omnes quicunq; ibi fuerunt, locum nativitatis Christi *in urbe* non extra urbem esse. *Origines libr. i. contra Celsum. δείκνυται τὸ ἡρωτικὸν θέατρον εἰνθαῦτη,* i.e. ostenditur in Bethlehem spelunca, ubi natus est. *Andrichomius in Theatro Terra S.p. 41. col. 2.* scribit: erat in extremitate hujus urbis rupes, in qua pro more illius terræ pro stabulo erat locus. Idem testantur & reliqui.

§. 17. In contrarium allata, nostrum fundamentum non evertunt. *Protevangelium* quod sub titulo *Jacobi* circumfertur, ut fabulosum ac supposititum esse alibi ostenditur, ita assensum nostrum sibi polliceri nequit. *Antrum* tale, quod stabuli loco esse potuerit, in urbe Bethlehem fuisse, *ex supra dictis* constat. Fuit enim urbs in colle saxeо sita & plurimæ domus, ut quidam putant, saxis incisa. *Herodi* quod non statim annunciatum fuerit, Magos recens natum Judæorum Regem adorasse, non *loco suburbano*, sed *providentia divine*, quæ omnia sapienter dirigebat, est ascribendum. *Baronii* fundamentum in interpretatione à fonte aliena fundatum, valde lubricum est. In *Textu Ebraeo* hac habentur verba *ישׁקן מִצְרַיִם שָׁלָעֵם מִשְׁגַּבּוֹ* h.e. ipse excelsa habitabit munimenta saxorum sublimitas ejus ut *Vulgata* reddit: *Nisi ergo refugii hic invenit Cardinalis!*

§. 18. Ceterum illa difficultas adhuc sententiam nostram premere videtur, *quomodo nimirum*, si Christus in civitate natus, *pastores nocte civitatem ingredi, & domum aut stabulum, in quo Christus erat, tam facile invenire potuerint?* Certum enim est civitatem Bethlehem habuisse mœnia cum propugnaculis, & munimentis portarum. Unde inter עֲרוֹת מִצְרַיִם civitates munitas Jude & Benjamin refertur 2. Paral. 2. v. 6. & in portam Bethlehem irruiisse, pro heroico facto habebatur 2. Paral. 2. v. 16. & hodie adhuc reliquiæ illorum peregrinantibus ostenduntur. *Eruditus*

*Casanbonus in Exerc. 2. ad Annal. Baron. p. 123.* ita nodum solvere tentat. Si vicus fuit Bethlehem, aut muris non cingebatur, aut in tam alta pace aperta fuerunt porte ut plurimum, aut deniq; divina providentia factum, ut illa ipsa nocte patarent. De altero vero cum Scriptura taceat se quoq; nihil extra Scripturam pronunciare velle, protestatur. Et videtur omnino sic esse, cives Bethlehemiticos in tam alta pace, securos ab omnibus hostibus, eo tempore, cum plurimi illuc quotidie confluabant homines, aut non clausisse portas, aut pulsantibus peruisse, & un cuivis aditum intra moenia concessisse.

§. 19. De pastoribus deinde, quarentibus stabulum dicunt non simpliciter invenerunt, sed *ανευεγν*, ut indigitetur, ea nocte diligentem factam esse inquisitionem à pastoribus (*uti annotat. B. Chemnit. in Harm. l.c.*) an illa nocte puerpera aliqua in stabulo peperisset & infans aliquis recens natus, in præsepi reclinatus jaceret. Et post diligentem inquisitionem, ita inventarunt sicut angelus ipsis dixerat. Assumserunt procul dubio & alterum, *signum* ab Angelis, ipsis datum. *Luc. 2.v.12.* quod inventient *το βέβαιον επιφανείαν μετερον* fasciis involutum. *Σπάργανα* interpretantur primas fascias, quibus infans recens natus involvi ac restringi solet, deducuntur *το επιφανείαν* quod significat, discerpere atq; dilacerare. Videntur ergo ipsis angelus, sicut in cunis, ita etiam in fasciis singularem aliquam Christi innuere humilitatem. Si enim vel usitatæ vel eleganteres fuissent fasciæ, non potuissent esse signum, quo natus Messias ab aliis infantibus, qui in civitate Bethlehem tunc etiam fasciis involuti erant, dignosci potuisset.

§. 20. Quas vices locus nativitatis Christi diversis sustinuerit temporibus, ordine recensere, nec injundum nec difficile fore, modo id concederet pagellarum angustia. Paucata tamen adducemus. Nato Messia ac impletis de eodem è Bethlehem oriundo Vaticiniis, tota Judæorum Respublica agonizare atq; ad interitum vergere cepit, cumq; ea civitas Bethlehem, & à *Ti-  
to Vespasiano Exercitus Romani Imperatore* cum reliquis Palesti-  
næ urbibus delecta est, relictis solum ruderibus, ut olim rerum  
ge-

gestarum servaretur memoria. Nec hodie quis Judæorum ibi  
degit neq; ad civitatem Bethlehem illis patet accessus, uti *Heb-*  
*fricus in descriptione Terra S. testatur*. Sciunt hodie & que bene  
occæcati nostri Judæi, ac olim Synedrium Hierosolymitanum  
ab Herode convocatum, Messiam in Bethlehem nascendum es-  
se, nec inficias ire queunt, neminem ex ipsis in Bethlehem re-  
mansisse, & tamen non tantum non credunt Messiam venisse,  
sed & Christum ac Matrem ejus virginem convitiis proscin-  
dunt execrandis. *Vid. Excell. Dn. Dilber. in Atrio Lingua S.*  
*p.33.44.48. & Celeberr. Dn.D. Müller. in Judaismo detecto.*

§. 21. Posterioribus temporibus *Adrianus Romanorum Imperator* ægre ferens Christianos in locis sacris conventus suos  
instituere, sicut alia loca, ita etiam hoc, nativitatis Christi an-  
trum immani scelere contaminavit. *Hieronymus* de eo conque-  
ritur in Epistola ad Paulin: *Ab Adriani temporibus, inquit, usq; ad Imperium Constantini in loco resurrectionis simulacrum Iovis,*  
*in crucis rupe, statua ex marmore Veneris à gentibus posita coleba-*  
*tur, existimantibus persecutionis autoribus, quod tollerent nobis si-*  
*dé resurrectionis ac crucis, si loca sancta per Idola polluissent. Beth-*  
*lehem nunc, angustissimum orbis locum, de quo Psalmista canit:*  
*Veritas de terra orta est, lucus in umbrat Thanius i.e. Aonidis & in-*  
*specu ubi quondam Dominus parvulus vagit, Veneris Amasius*  
*plangitur.*

§. 22. Seculo deinceps innuente quarto à nativitate Christi  
piensisima *Helena Constantini Imperatoris* mater loca sacra  
restituit, templisq; ornavit. Hinc *Eusebius de vita Constantini l.3.*  
de Helena testatur inquiens: *Deo, quem adoraverat, duo templo-*  
*consecravit, unum ad nativitatis antrum, alterum super assumpcio-*  
*nis montem.* Imperator ipse paulo post regalibus ornamentiis  
eundem locum honorare & munificentiam matris suæ adauge-  
re cepit. Inde ad tantam pulchritudinem templum super Christi  
nativitatis locum exstructum, pervenit, ut describit vix posit.  
Ad locum dulcissimæ nativitatis ex templo descendunt decem  
gradibus, qui locus vel ipso cœlo est augustior. Tegitur mensa  
marmorea & candida, in qua & sacrum peragitur, & qui eo ve-  
niunt,

niunt, osculo devotionem testantur, Lapidis illæ partes, in quibus reclinatus fuit Salvator, non vestiuntur marmore, sed nudæ apparent, ut erant tempore nativitatis. Lapis in quem reclinavit Maria flexis genibus, similitudinem stellæ habet. Est tota hæc Capella sumptuoso ex marmore & auro constructa. Hæc & plura lege in Androchomio ut & in M. Henr. Bunting. Itiner. Scriptura S. locis citatis.

§. 23. Tandem quando barbara *Sacracenorum gens* Terram Sanctam occupavit, pleraq; vastavit, vestigia Christianæ vitæ delevit atq; ipsam ferme faciem terræ S. mutavit, dubium esse non potest, quin non etiam vim antro nativitatis Christi intulerint, atque aurum aliaq; pretiosissima ornamenta manibus suis rapacissimis abstulerint, ut pleraq; si non supposititia, tamen incerta sint, quæ hodie ibidem demonstrantur. Pluribus hæc exponenda essent nisi demensum nostrum excedere videarentur. Relinquimus ergo saxeum hoc nativitatis Christi antrum ac recens natum JESULUM nostrum ex eo nobiscum sumimus, eumq; fasciis mundæ fidei ligatum reponimus in humile specus cordis nostri prorsus innovati & per firmitatem boni propositi è petra excisi, ornantes illud, non auro aut marmore; sed condientes myrrha seria pénitentia, quæ leniter amara & suavisissimi coram Deo est odoris, Tu BONE JESU noster,  
hæc, quæ Tibi offerimus, non contemnes  
cunabula!

T A N T U M !

SOLI DEO GLORIA.



153 044



Sch

AB 153 044

VD 17





### Farbkarte #13

B.I.G.  
Black

Red

Yellow

Green

Blue

White

3/Color

Inches

Centimetres

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

B. V.  
NEM PHILO-  
CAM

BULIS  
[STI,

Albim Athenæo

tioni subjiciunt

SES

CHRISTOPH.  
CHIUS,

NDENS

GERHARDUS,  
ILESIUS.

BERGÆ,  
EI HENCKELII  
.DC.LXV,